# Caput Secundum
## De
## Ipso Angelicæ Nostræ Custodiæ Beneficio.
### Sectio prima.
### Pugna, Victoria, Gloria, et Pœna Angelorum.

92 Sicut in primo huius libri capite proposui Angelos secundum dona et perfectiones naturales, ita propono in prima huius secundi capitis sectione eosdem Angelos secundum dona Bonorum supernaturalia et mala Malorum moralia, utrumque enim si non necessariam, saltem perutile arbitratus sum ad iuste rememorandum Angelicæ custodiæ a Deo nobis contra Angelicos insultus destinatæ Beneficium, pugnam igitur dicere mollior, sed cum pugna simul victoriam, ex victoria vero gloriam una et pœnam, sed illam Bonorum hanc malorum. A pugna ergo ordior dicere, sed non aliter quam cum mentis horrore, nunquam enim pugnatum est acrius, nunquam dimicatum periculosius, turpius peccatum in acie nunquam? stat enim accincta acies in ipsa civitate pacis, canuntur classica in iniuriam Numinis, parantur prœlia contra sedem Sanctitatis! et campus turpitudinis sit Empyreum, Causa certaminis contemptum Dei Beneficium, princeps scelesti primus Angelorum! quis non horreat talem pugnam vel cogitare! vis scire conflictus gravitatem, perpende scripturæ authoritatem apoc. 12. factum, inquit, est prœlium magnum in cœlo, Michael et Angeli prœliabantur cum Dracone, et Draco pugnabat, et Angeli eius; vis nosse qualitatem, audi Isaiam dicentem c. 14 quomodo cecidisti ~~Lucifer~~ de cœlo Lucifer qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium similis ero altissimo c. ; desideras eventum? audi Joannem Apocalipticum ubi supra: Draco pugnabat, et Angeli eius, et non praevaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo et proiectus est Draco ille magnus serpens Antiquus, qui vocatur Diabolus et Satanas, qui seducit universum Orbem, et proiectus est in terram et Angeli eius cum eo missi sunt. c.: O cui non tinniant ambæ Aures dum hanc pugnam audit nominare in qua creatura contra Creatorem Angelus ingratia conditus contra gratiæ auctorem, vel vix ex nihilo factus contra suum factorem ausus est pugnare, usque dum de Cœlo caderet in abyssum iam nunquam restituendus in naturalis patriæ solatium. Tu igitur perpende Bernardi effatum in serm. de ligno, fœno, et stipula: Nusquam est, ait, securitas, neque in cœlo, neque in paradiso, multo minus in mundo; in cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia Divinitatis, Adam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
https://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/heidhs146/0073
gefördert durch
Baden-Württemberg